


~~C 7844~~
Ud 5368 2°



Berol 5368 Ud (1-14)

ARGONAVTICON NVPTIALE

ILLVSTRISSIMO SPONSO,

IOANNI
DE BNIN
OPALENSKI
CAPITANEO SREMENSI,

ILLVSTRISSIMÆ SPONSÆ

TERESIÆ CONSTANTIÆ,
KONARZEWSKA.

AVREAM ÆTATEM,
Aureâ semper Heroum NAVI,
BONIS SIDERIBVS,
SECVNDISSIMIS FLVMINIBVS,
In Spes Sarmatiæ sine naufragio Fortunatas,
AB ALTO
Sanguinis, Virtutis, & Honoris
PROVEHENTI,
D. D.

Interpres Publici Gaudii PALLAS KONARSCIANA
In Collegio Posnań. Societatis IESV.

Anno Regis Sæculorum.
M. DC. LXXXII.

ALTER erit nunc Tiphys, & ALTERA quæ vehet ARGO.



Flumina jam Lactis, jam Flumina nectaris ibunt.



REfode quam tumulâſti ſpem Polone. Aſſurgit è tumulis etiam, fortuna, ſi animus ſpe meliori non concidat: Thaumaturgum ſcilicet bonæ ſpei Promontorium eſt, ad quod ſi per Mare etiam mortuum appellas vel adrepas, portum felicitatis, vitamq; inveniſti. Naſcuntur è cineribus Phænices, quos jam ſuum fatum parentali inſepelivit rogo, *ut finirent in odoribus ævum*, Non ſolius tamen hæc Arabiæ felicitás eſt. Tibi quoq; Patritia Aquila Aſſyriæ Alitis ominatur gloriam, *ut poſt funera vivas* ſuperſtes, & quod jam ſpei inhumandæ buſtum poſueras parentale, *cumulum prætexens pretioſa fronde Sabæum*, in triumphales inſtaures componaſq; pyras ac Obeliſcos, ut orbis dubitet attonitus, natane an renata Tibi fortuna ſit? in quam *nec ſtamina Parcæ dura legunt nec jus habuêre nocendi* melioris auræ ſpe, animatam.

Fateor excuſſam nobis tanto bellorum tumultu bene ſperandi mentem: ubi inter hoſtilia ferocientis Gradivi tonitrua ferreum tantummodo expectare nobis & horrere licuit nimbum, qui in Vulcanium concreſceret ſeculum. Hauſit auri ſacra fames avaro abſorptam hiatu, illam, quæ per ſomnum etiam gratam fabuloſæ Pöëſi, tulit plaudendi materiem, pluviam, quam natâ Pallade aureis depluit cum cataractis cælum: nobis Polonus Viſtula ſcuta, virum, galeaſq; natus volvere, ſolas ferri glomerat ſaburras, auro, Gangi Hebroq; commiſſo, quo dives, Eridanos temnit. Videas nonniſi arma ſtrepere per clima Polonum, & commiſto cum áëre nimbo, grandines pluere ferreas. Ictu reboante tormentorum concuſſa tellus ejaculatur enſes, ſub armorum mole trepida, arma egerit. Caſibus ſtamus & ruina propellente reſiſtimus fu-

rori, ne extremum in præcipitium mente plantâq; concida mus. Vivimus continuis innutriti bellorum ærumnis, ut alibi hoſpitari, in Polonia domeſticam metari ſtationem Mars ferreus videatur. Crederem non immeritò, Aquilam per Gentilitias Polonorum Ceras volitare, ubi exautoratâ aureæ pacis malaciâ inter æreas ferreasq; tormentorum grandines ac tempeſtates commiſtus nitrato pulveri áër, fragore concutit omnia, non Iove ſed hac adminiſtrâ fulminante. Ruunt urbes & oppida, & everſis turribus campi annuunt, neve hanc ruinam timere videantur vel vitare, ipſa in caſum properant. Quaſi quærerent ſibi tumulos, ut barbarorum protrita ungulis faſtigia, meliùs ex abdito, ultori cælo cultum impendant reclinata vectigalem. Eò demum ventum eſt, ut non ſatis nobis fuerit, alienâ ferream ſervitutem cudi tyrannide. Ipſi in mutuam noſtrûm conſpiravimus Vulcaniam, probaturi utrum pares haberemus ſummis caſibus vires. Et cum hoſtis nobis deeſſet, intra viſcera Civium cotem quæſiimus, quæ noſtram hebetaret vel acueret aciem gladiorum. Hic demum ſub Civili ingemuimus ferro Poloni, cum *fraterna acies Lechicis decertata odiis*, acrius nobis intulit vulnus, quàm ut Hypocratica mederi ars poſsit cicatrici. Exterorum nobis chalybs, nihil præter terrorem tulit, qui viros etiam Herôësq; petit, nec enervat mente quaſſatos ſolidâ. Ad Svetici Thraciq; Martis impetum nec de animo nec de viribus concidimus ſecuri victoriæ dum animi. Sed ubi propriis perire placuit vulneribus, ſub tam ferreæ calamitatis pondere, Herculeus etiam ſudavit labor, noſtra vix non ſuccubuit magnanimitas. Tum auream vili pretio ſanguinis vendidimus an amiſimus ætatem, cùm diſcordi animorum certamine in crudam & Siculis vix natam caminis, cervices liberas vocavimus, an traximus incudem.

Sed jamne quod cudimus, nulla refinget ætas ferrum? nec quæ Saturnus Latio intulerat tempora, in Lechicum quiſquam revocabit clima? Credetis? *Una ſalus victis, unam ſperare ſalutem.* Nondum auream inferte ſepulchris Poloni for-

tunam.

tunam. Surget quæ occidit, alterno in orbem reditura curſu, & quam rubigo ferri exedit gloriam, domabit pacis pulvere ætas aurea. *Nempe veſper veſpere truditur, qui nunc deterior nunc melior ſubit: Anni nubibus inſident,* quas ad momenta ſudum ſerenumque cælum miſcet, & variat.

Vehit, quam Siticuloſis jam Oceani merſam credidimus procellis, pro Cæſaris fortuna, ætatem auream, Argo OPALENIA. Quæ dum per Illuſtria KONARZEVIANÆ Domus provehitur Fulmina; Colchicum petit littus, ut hinc aureum vellus efferat, quod excuſſo ferri ſtridore grata tinniat auribus harmoniâ.

Iactet ſe ſuo Heſperus Pactolo, qui dum aureis radiat arenis, occaſus audire deſiit, meridiei ſimilior, qui tam ſplendidè aurato nitore coruſcat, ut humano livori palpebram everberet, ne liberam intorqueat aciem, quin vindice lacrymâ audaciam eluat. Jam tandem & nobis Polonus Viſtula poſt fluctus ferreos in Novam diffluet Cherſoneſum: dum OPALENIA Ratis per Gentilitium KONARZEVIORVM KORCZAK, felici provecta remigio, Sarmaticos pollicetur Ganges. Maxime cum Ternioni fluminum cæleſtes favent Planetæ, cui *cùm rutilo cognatum vertice ſidus* impendet, aureas lippienti oculo monſtrat arenas. Et quaſi adhuc ſcoriam radiis igneſcentibus excoquere ſit neceſſe, accenditur, ut in lucem protrahat, quæ latuit, ſortem auream, ac ætatem.

Favete Vati Heliconis Deæ. Cortinâ verius oraculum eſt, indubia ſpes Lechiæ non in herba plantata, quàm Coronatæ lauris palmiſq; provehunt Carinæ. *Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna* cum eliquata ad KONARZEVII ſideris ignes cruditas ferri ac Cyclopum, blandior ſereniorq; inter Hymenæi faces, aurei ſeculi affulget nitor: quo duce,

Non galeæ, non enſis erit, ſine militis uſu:
Mollia ſecuræ peragent aſt otia gentes.
Vos aſtra cytharæq; Phæbi vota plauſu animate ſecundo.

Adhuc



Dhucnè sævò verbere, Mulciber,
Percellis aures? Ecquid inutili,
Brontesq; defessusq; longò,
In siculis, Steropes, caminis
Instat labori? Jam solito manus,
Tandem quiescat libera pondere,
Armosq;, lassatumq; pectus
Lemniacis placidus reponat
Sopor cavernis. Ferrea, quid juvat,
Orbi Polono, cudere secula;
Longoq; detritis ab usu,
E solido dare fulcra ferro?
Eheu cruenti jam chalybis satur,
Evasit orbis! Sed pretiosius
Sitiq;, productaq; longum,
Quando fami dabitur metallum;
Quo Musa tendis? fræna loquacibus
Impone votis? Argo OPALENIA
Littus momordit, & rebelles
Nerëidum superâsse vires
Gaudet, revectâ merce beatior,
Jam vota complet. Fulget ut aurea
Ætas, & è puppi, renidens,
Sarmatiæ speculatur agros!
Videtis? An me ludit amabilis
Imágo proræ? jam videor sacros
Audire plausus, & frementes,
Ad patrium resonare littus
Laudum catervas? Hinc Lechiæ celer
Ales, carinæ, pronior imminet:
Proramq; malumq;, & virenti
Remigium religat corona.
Hinc gratulantûm turba Quiritium
Lætum sonorò carmine personat,
Festoq;, votorum tumultû
Cæruleum per inane, lenes,

Fatigat

Fatigat auras? Inde cadentibus,
Erectus undis Istula, marginem,
Ultra perosus, totus ardet
Emeritæ dare colla puppi.
Nec Varta, motos, segnius expedit
In vota fluctus? mulcet amabili
Et ille Lympharum susurro,
OPALENIÆ pretium carinæ.
Absiste plectrum? Pierio satis
Datum calori! Tu digitos lyræ
Appone, laxatumq; tende
Ad numeros Hymenæe nervum.



Eque furorem hunc quispiam crediderit, aut somnium è bicipiti Parnasso entheatum. Pronum ætatem in auream cælum, coronat præsagia, quæ Camœnæ pollicentur. Tenemus gaudia, quorum desideriis tenebamur, nec ultra quæremus, quæ tot annorum gemitu querebamur. Licebit jam longa pacis tædia, supino Polonis edormire in otio, cum sopitis Cyclopum malleis, Mulciber siculos extinxit focos, ne amicum ictu inquieto soporem, lacessant. Venit ætas OPALENIA deducta onerariâ, *ubi non acies, non ira furet, non bella, nec ensem immiti sævus provocet arte faber.* Dedere præsagium ætatis aureæ, Illustrissima tot Præcessorum nomina. Rivum è fonte metiamur, fructum ex arbore. Nunquam in altum honorum meritorumq; provecta Gentilitia eorum Navis, quin Poloniæ, Augustas ferret opes, in Illustrissimo MATTHIA Palatino Posnaniensi, Generali Majoris Poloniæ: cui timendum fuerat ne aureo gravis spolio Ratis, mergeretur, nisi in Regia partiretur fortunam æraria. Tum demum se munificum ratus, ubi etiam in Reges fuisset liberalis, soles illustrando, quibus in minora sidera sum mutuari lumen est solenne. Crederem nihil in eo præter aurum fuisse. Auream sortitus mentem quam Regibus inspirat Plato, etiam secures MATTHIA ferreas non est passus,

ne

ne Midâ felicior esset, si aliquid manu tractaret, quod non aurum fieret. ANDREÆ Episcopi Posnaniensis pietas, quò ad rogos Heterodoxorum flagravit ardentiûs, eò magis polliceri dum excoquere poterat ætatem auream. Tunc

Pæna metusq; aberant, nec verba minacia fixo
Ære ligabantur, nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui:

Vbi in tot auream impendit manum Asyla, quo sacras erexit Majori Poloniæ ædes. In PETRO Castellano Gnesnensi nihil non aureum suspexit Lechia, præter ferream petrâq; solidiorem magnanimitatem. Aurei oris Chrysostomum credebamus, sive ad Vaticana folia, sive ad Cæsareos thronos suspeximus Oratorem.

Flumina tum lactis, flumina nectaris ibant,
Flavaque de viridi stillabant ilice mella:

dum ille orbis Poloni Nestor, tot diserta Eloquentiæ flumina, sive Tyberi, sive Albi Istroque infudit. Ex Illustrissimo ANDREÆ supremi Regni Mareschalci Scipione, quis non auream refingere potuit ætatem vel meriri:

Ver erat æternum, placidiq; tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.

Cum tepefacta ad igneum illius amorem patriæ, discordium animorum glacie, Campestri textam è flore, quia Polonam Coronam, in medio rebellium æstu, an Autumno, vertici Stephani Batthoræi imposuit, Pomumq; aureum plantavit manibus, ut præesset Rex, tot Regibus quot Polonis. Arcus triumphales non Turres Posna gessisti, dum iterum ANDREAS triumphali te sua signabat cruce Antistes, cujus signo noverat vincere Constantinus. *Iamq; nocens ferrum, ferroq; nocentior irâ desiit.* Iam bella cædesq; cessarunt, ubi sub triumphali hoc Pastoris Crucigeri quia ANDREÆ nomine ipsam stygem vincere potueras. Et quamvis Illustrissimus LVCAS tot annis in Polono campo, dum ter gemina Regum aula sudaverit, ætatis tamen aureæ nomen non amisit. Mox etiam tum

... tellus fruges inarata ferebat
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis,

maximè cum Fraternæ CHRISTOPHORI Posnaniensis Palatini post sua fata suppetiæ, illius cæptam promovére gloriam, qui non contentus sponte sua crescentibus palmis, ab Oratoria etiam derivavit dictione Laureas, eoq; Tullianâ evasit facundiâ ut non Rosas sed Lilia loqueretur, cum in Galliam Legatus, VLADISLAI IV. Paranymphum ageret, verius Cyneam non urbes sed animum LVDOVICÆ expugnantem. Taceo & alterum vere secundum, Illustrissimum LVCAM Curiæ Regni Mareschalcum, in quem cum

Pallas sua dona tulit nec paupere dextra
Dives Apollo sua

quidni tantis capacem thesauris animum, ærarium credam, in quo tam Augusta recondi deposita potuerant, ad ferreæ ætatis egestatem; ne ære strideret, quam tam magnificæ opes animi OPALENII, ditarunt copiosè. PETRO Palatino Calisfiensi debet auream ætatem Polonia, ferream habitura, nisi Svetici Leonis unguibus discerpendam ejus Aquilam, in Silesiticis primum limitibus mox in Holsatia vindicasset.

Vestra Illustrissime sive Infulatis CVLMENSIS Tiaræ honoribus, sive BRESTENSIS magniq; Majoris Poloniæ Generalis subsellio, sive Senatoria LANCICIENSIS Palatinatûs Curuli, sive Capitaneatu OSIECENSI, OPALENIORVM Quaternio, taceo decora. Tributaria magnis mentibus gloria est, taciurnitas. Plus impendam honori vestro elogii, si admiratione sola & silentio, quo magna coli solent venerabor. Erubescit dum spirat viva, utinam quam diutissime, *collecta castigata modestia frontis* elogium: ergo teneo calamum vestro honori obligatum. Dicent secula me tacente, quod præ oculis sine pagina legunt: gloriam sortemq; Poloniæ, vestra servari Rate & consiliis, nec aliter ad bonæ spei promontorium, appellere posse, nisi vobis Palynuris.

Tuo tamen honori à magnis quos calamus attigit, nec satis complexa cepit pagina, Præcessoribus, non degener Sanguis Illustrissime IOANNES OPALENSKI Capitanee Sremensis injurius forem, si tacerem. Publica plaudentium Posnæ gaudi-

diorum necessitas, linguam calamumq; rapit, nec invitum. Loquacissima res est Platoni, miser: mihi diserta felicitas, quam Nuptiale Celeusma Argo Tuæ, in KONARZEVIANUM provectæ Fluviorum Ternionem imperat, ut facunda sit, non tam in elogia Tua, quibus se fatetur imparem, quam in auguria. Auream Majores Tui vexêre ætatem Lechiæ: par à te speranda. Non ita sanguinem nempe à Præcessoribus derivasti ut virtutem nativo jure non heredites. Intaminatæ pulvere gloriæ erades, quidquid turpi squalet sub rubigine ferri. Audimus pro pudor Poloni! nostræ degeneres gloriæ, focis non campo nati Hectores. Irrupit, nostrum, ut olim ferreo seculo *venæ pejoris in ævum*

Omne nefas, fugére pudor rectumq; fidesq;
In quorum subiére locum fraudesq; doliq;:

tam horridam vitiorum maculam iis quibus innatas KONARZEVIORUM immerges undis, meliori qua tumet Navis OPALENIA merce, ditando patriam, ut redeat ætas: *quæ vindice nullo*

Sponte sua sine lege fidem rectumq; colebat

Marte tamen non exuo bello natam indolem dum ferreo seculo. Ibis per magnorum vestigia Heroum inter Martiales Hectorum animas par Hercules: sed etiam tum dum ferro tumulos effodies hostibus, aureum scrutaberis metallum, quo nominis immortalitatem merceris Poloniæ. Attollet te ad alta honorum fastigia meritorum magnitudo: Non alio passu animoq; hæc scandes juga ac culmina, quam ut aureas rimeris venas quibus seculi duritiem in auream recudas fortunam.

Ergo vota coronet cælum & omina. Vaticinia comple factis. Provehere fortunato cum Gentilitia Argo Tua, & quæ jam per Rheni Tyberisq; alveos Tuam circumtulit nominis maiestatem: per KONARZEVIANUM vela expandat KORCZAK, & ubi beatam aurei seculi diu provexerit felicitatem serò æternitatis contingat portum.

Non



Non sola fortes exstimulat viros
Achillis ausu Parma beatior,
Trojáq; subversâ cōdctum,
Ante rates trahit ad Tribunal.
Nec sola justum cælica Judicem
Poscunt Dearum jurgia Dardanum,
Num lecta de tribus, petitum
Obtineat Cytherea pomum.
Et nata cælis Argo OPALENIA,
Imperviorum, nomina Fluminum,
Vastiq; Majores profundi
In similes animavit ausus,
Diemq; dixit, quâ dubiam Ratem
Committat uni, Nereus arbiter,
Mentesq; per diversa raptas
Purpureo revocet Senatu.
Non unus amnis vult OPALENIAM
Portásse Proram, quisq; sibi decus
Exambit Argo, unumq; cunctos
Sollicitat studium petendi.
Hinc surgit audax, nec patiens moræ,
Musis Sacratum Flumen, Apollinis
Svadâ beatum, cui virescens
Cæsariem religavit herba,
Et sic prealto non sine murmure.
Prærepta laudum munera non feram
Princeps profundi: nec repulsam
Fatidici meruêre fontes.
Phœbo sacratas Prora OPALENIA
Oberret undas, quæ modo Palladem
Doctamq; cum Musis Minervam
Portat onus, Latiiq; svadam.
Hanc dives Hebrus, Lydus hanc sibi
Evincit Hermus, prodigus aureo,
Gangesq; Pactolusq; fundo,
NAVIS opes sibi destinari

Per

Per vota poſcunt. Nereidum chorus
Jam ſe quietis fluctibus erigit
Celſam reducturus Carinam
Per Patriæ maria alta famæ.
Hanc æſtuanti Marte ferocior
Et purpuratis decolor imbribus,
Gradive cui ſupples fluenta,
Et calidi gravis enſis ira.
Invitat ultro, mulcet & horridos
Erythra fluctus. Digna vehi meis,
Finxêre quam Divi Carina,
Cælituum monumenta, rivis;
Quæ nota Marti pectora devehis
Non parca fuſi ſanguinis hoſtium,
Per bella Mavortes timendi,
Quem valido petiêre ab enſe
Claro trophæis. Ergò meis ait
Deberis undis, Te vel in arduo
Mars Tiphys excubans fovebit
Sanguineis volitantem in undis.
Ardor Quirites hic tenuit. niſi
Pater minorum Viſtula fluminum
Erectus ex urna, Senatum
Grandiloquo tenuiſſet ore.
Quo vota longis diſtrahimus viis?
Sunt & Lechæis finibus aureæ
Tagi procellæ, non Hydaſpes
Ditior eſt, potiore nunquam
Hermus metallo fluxit, & aureo
Inaurat ictu littora; ab amnibus
Hæc gaza KONARZEWSCIANIS
Diluvio locupletiore.
Terras inundat: Nos rapit alveus
Bino retentus littore; triplici
Ex amne KONARZEWSCIORUM
Aurea deproperatur ætas.

Primus

Primus Patrito nomine grandior,
Centum ſerenis per populos fluit
Ceris avorum, perq; regna
Magnanimum genus ampla defert.
At pulchra Virtus, Candor, & Indoles
Mentis decoræ, poſſidet alterum,
Ternusq; præcelſo Tiaris
Fundit opes famulas Honori.
His his fluentis Argo OPALENIAM
Mandemus inquit. Numina Viſtulæ
Ceſſêre dictis; mox remotæ
Plauſibus intonuêre ripæ,
Votisq; plaudunt littora. Cedite.
Excuſa ferro tempora, gemmeum
Dum Prora KONARZEWSCIORUM,
Tergemino vehit amne ſeclum.

APPLAUSUS
CELEUMATICI
ILLUSTRISSIMIS STEMMATIBUS.

I.

FRugifer exundet Septena per oſtia Nilus;
Ter-geminæ melius nat Tua Cymba Tethi.
Quam dum propellet Zephyris Fortuna ſecundis,
Stella Tuæ prædux ſit Cynoſura viæ.

2.

Pendet OPALENIAM dum ſupra, ſtella Carinam;
Jam non Iaſonium vellus, at aſtra vehet

3.

Olim ſe totis lavit Fortuna fluentis,
Hinc pretium lymphis commeruêre ſuis
Hinc celebres volvit pretioſis fluctibus undas,
Auratoq; tumet gemmifer amne Tagus.

Sic

Sic KONARZEVIÆ vehitur dum Tethydis Argo
Divitis inde minor gloria Gangis erit.

4.

A Terra Fluvium, à Cælo Argo ſidus habebat:
Sponſa OPALENIÆ præbet utrumq; Rati.

5.

Dum triplici ſe Stemma freto diffundit: & alto
Non humilis radium Syrmate ſtella trahit:
Ergo Ratis ſubeat Cælos OPALENIA: NAVI
Stella Maritali, ſignat in Aſtra viam.

6.

Invitum domuit Xerxes per vincula Pontum:
Obligat aſt triplex ſe Tibi Sponte Tethys.

7.

Phœbe fave, veliſq; Notos Submitte ſecundos,
Qua ſe ſe triplici flumine Cymba vehit.

8.

Divite quas Ganges deſpumat littore gemmas;
Has KONARZEVIO devehat amne Ratis.



132

Pl. ad.

Hist. Polon.
6 Spec.

23

